



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XIII. Dum quodam in templo, Salve Regina concineretur, & uerba illa enunciarentur, & Iesvm benedictum; ibi Virgo apparet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

sunt, si aliquis illis uerbis, DVLCIS VIRGO, se deuoluisset, eandem Virginem, ò mira māfuetudo, submisisse se, ut par pari referret, & cum peractis supplicationib. omnes abibant, eam quoq. in coelum uisam fuisse conscendere.

MIRAC. VIRG. XII.

Auicula rostro defert SALVE Regina ad mulierem, quae eius perdiscendae desiderio incensa erat.

PRiùs quam antiphona illa; quae in superiori miraculo commemorata est, pasim uulgaretur, pia quaedam matronae modulate eam canere consueuerant. Hoc audiens nobilis, & honesta mulier, eius memoriter perdiscendae maximo in desiderio erat. Quod dum mirabiliter & impensè cuperet, eam auicula, candida, & expolita carta per scriptam rostro adtulit; ibiq. reposuit, ubi matrona præcationi operam dare solebat. Quocirca Virginis benignitatem ea summis extulit laudib.

MIRAC. VIRG. XIII.

Dum quodam in templo, SALVE REGINA concineretur, & uerba illa enunciarentur, & IESVM benedictum; ibi Virgo apparet.

IN Insubria quodam in templo pij monaci SALVE REGINA, canebant; & dum ea uerba, & IESVM BENEDICTVM, proferrentur, multorum

multorum animis iam diuini afflatus igne incensis, & inflammatis; ecce ante omnium oculos Virgo occurrit; quae dulcissimum natum in sinu gestans, dulcia haec uerba suauiter sono edidit; quae recitare, est operae pretium. Ita, n. omnes, qui aderant, allocuta est. Dulcissimi filij, frequentes, & assidui estote in praedicandis filij mei laudibus, quae uobis ego, & hic, & in coelo ostendam. Deinde pulcherrimum infantem illis conspiciendum obtulit. Hoc ubi uidit chori praefectus, praeter gaudium in extasim raptus est. Tam insigne miraculum eorum, qui uiderant, nimia submissione, & animi humilitate, diu celatum est. Eo palam prolato, coenobitae omnes una assidue ad illam antiphonam summa ueneratione celebrandum conueniebant; neque tam grauium occupationum oneribus premi poterant; ut honestum institutum unquam intermitterent. Alijs in rebus omnibus sepositis, certatim, ad conferendas in hanc reginam laudes, sacratam in aedem confluebant. Atque sibi hinc in hac uita summum praesidium paratum esse, confidebant; in coelo autem immortalia sperabant praemia. Quapropter pius, & sanctissimus ille nos obtinuit; ut post completorias obsecrationes illa cantaretur. Ea res a D. Domini monachis praecipue postea more comparata, & semper usum, ac consuetudine, non sine omnium laetitia, & triumpho recepta est.

